J. J.

18

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS DE MENSIBUS DOLORIFICIS,

QUAM
SUB PRÆSIDIO
DEI TER OPTIMI MAXIMI,
AUTORITATE ET DECRETO
GRATIOSISSIMÆ
FACULTATIS ASCLEPIADEÆ
IN
CELEBERRIMA NORICORUM UNIVERSITATE ALTDORFFINA,
PRO LICENTIA,
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES AC PRIVILEGIA DOCTORALIA
RITE IMPETRANDI,
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
AD DIEM XI. APRILIS, A.O.R. cIɔ Iɔ CCIX.
L. H. Q. C.
SUBMITTET

JOHANNES GEORGIUS König/
HERSBRUCCO-NORICUS.

Literis MAGNI DANIELIS MEYERI.




PRÆFATIO.



Umani Uteri naturam attentius considerans Aretæus, *& singularia ipsius phænomena perpendens, admiratione tandem plenus*, animal quasi quoddam in animali, *Uterum esse pronunciat. Quamvis autem hoc cum grano salis debeat intelligi, & non æque vita peculiaris Utero attribuenda sit, negari tamen non potest, illam partem exquisito sensu esse præditam, & peculiaribus officiis ac functionibus secundum naturam subeundis destinatam, tum etiam variis p. n. motibus molestisq; sensationibus obnoxiam: quarum sane frequentia priscis Medicinæ Scriptoribus & hodienum pluribus e vulgo persuasit, ut existimaverint, Uterum esse* ζῶον ἐν ζώῳ, *i. e.* vivens in vivente. *Ego, tametsi huic sententiæ in totum adstipulari nolim,*

lim, cum viris tamen cordatioribus arbitror, ſingularem Uteri habendam eſſe rationem, præ multis quoq; partibus aliis, in Praxi Medica, ſiquidem ejus affectiones & ſymptomata, uti peculiare quippiam ſæpius oſtendunt, ita etiam nihil ex iisdem adeo contemnendum eſt, quod non ſeorſim mereatur expendi. Propterea mihi, Specimen Inaugurale, juxta Decretum Gratioſi Ordinis Machaonii, jam edituro, dignum ſatis Thema viſum fuit, ſi de Menſtruis dolorificis, *frequenti non minus, quam moleſto ſymptomate uterino differerem: quod antequam aggredior, Divini Numinis auxilium, Lectoris autem Benevoli veniam, ſicubi fuero hallucinatus, mihi expeto.*



I.



E *Menſibus* jamjam acturus *dolorificis*, incumberet mihi quidem Nominum huc pertinentium adducere explicationem, cum more receptum ſit, *Onomatologiam*, Pragmatologiæ præmittere. At enim vero, cum permulti, clariſſimique Viri φιλολογώτατοι prolixam huic negotio jamdum impenderint operam, ne actum agere, aut aliorum ſcrinia compilare videar, haud multum ſolicitus

licitus ero, de curiose eruenda Nominum origine, horumque Etymologia, Synonymia & Homonymia adducenda; cum & parum utilitatis exinde ad Praxin Medicam, quæ merito præcipuus dicitur scopus, redundet. Paucissimis ergo saltem circa prius indicasse sufficiat *nomen*, quod *Menses*, sive *Fluxus Menstruus*, Hippocrati dicantur ἐμμήνια, καταμήνια, quorum, si cui placuerit prolixior explicatio, Lexica Medica evolventem latere non poterit. Præter hæc aliud quoque apud *Hippocratem* occurrit vocabulum, γυναικεῖα nempe; præstaret autem meo judicio illud omittere, ad odiosam æquivocationem evitandam, cum & interdum fluorem designare legatur album, muliebrem quoque dictum. A Latinis, *Tributum* appellari consuevit *Lunare*, eo quod interdum sub hoc sidere, statum recursus tempus servare soleat.

II.

In altero nomine, quod est *dolorifici*, major latet ἀκρίβεια & difficultas; siquidem mihi non sermo est, de omni dolore, qui circa Mensium Muliebrium constitutionem p. n. concurrere solet, v. g. in nimio profluvio, aut frequentius in suppressione & retentione, cujus etiam doloris mentio aliquoties fit ab *Hippocrate*, siquidem in illis Casibus non tam doloris, etsi concurrentis, quam vel excessus quoad fluxum, vel defectûs habetur ratio. Verum talis *dolor* hic potissimum a me intenditur, quem ipsi menses non immodice, aut excessive fluentes, aut è contrario penitus deficientes, sed ratione quantitatis ac temporis haud adeo exorbitantes, *sive actu præsentes*, sive *imminentes* saltem excitant, quemadmodum hoc paulo post adhuc clarius patescet.

III.

Ordinis nunc expoſcit ratio, ut ad *definitionem Menſtruorum dolorificorum* transeam, quam ſequentem dare placet, quod nempe ſint, *Excretio ſymptomatica ſanguinis ex Utero, ſtipata dolore plus minus gravi, circa lumbos, dorſum, hypochondria, aliasque abdominis regiones, interdum etiam ad pedes, præcordia & caput diffuſo, ortum trahente, vel ab intemperie acri, vel copia, vel orgaſmo ſanguinis, vel etiam a vaſorum anguſtia atque ſtrictura; quarum tamen cauſſarum plures in eodem individuo ſæpius conſpirant.*

IV.

Circa Genus eſt monendum, quod non ſola *actio excretoria*, hic intelligatur, ſed ipſum ſimul *excretum*, ſanguis ſcilicet; quemadmodum omnia excretionum ſymptomata & vitia in pathologicis ita conſiderari, atque tractari ſolent, ut tam materiæ, quæ excernitur aut excernenda eſt, quam ipſius excretorii actus conſtitutio innoteſcat. Ceterum ſi magis ad dolorem, excretioni laudatæ ſupervenientem aut complicatum, reſpectus habeatur, ipſum hunc affectum potius ad *ſymptomata actionum læſarum*, & quidem ſeorſim *p. n. auctarum* referre decebit: *dolorem* enim revera eſſe functionem, nimirum ſenſationem acutam, egregie in *Propyleo Medico* pag. 90. edocuit, VIR *Magnificus, Prænobiliſſimus atque Experientiſſimus* DN. JACOBVS PANCRATIVS BRVNO, *Phil. & Medic. Doctor undiquaque celeberrimus, in hoc Noricorum Athenæo Theoret. & Praxeos Profeſ. Publ. meritiſſimus, totius Univerſitatis, ut & Collegii Medici Noribergenſis Senior graviſſimus, Poliater Altdorfinus feliciſſimus,*

Domi-

Dominus Patronus, Præceptor atque Studiorum meorum Promotor, summe venerandus.

V.

De Subjecto ut nonnihil accuratius constet, distingui hoc poterit in *latum* & *strictum*: Illud (quod etiam *adæquatum* nuncupari solet) constituunt *personæ sexus sequioris*, & ordinarie quidem, quæ *annos pubertatis* attigerunt, vel impleverunt, & oneri menstruæ excretionis sunt obnoxiæ ad annum circiter ætatis quinquagesimum. Extraordinarie autem magis aliæ præ aliis citius vel tardius isto fluxu corripiuntur, qui rursus in aliis citius in aliis tardius cessat, ut sane plurima possent allegari exempla, vel præmature, vel nimis sero in decrepita adhuc ætate menstruatarum; sed parco tempori.

VI.

Stricte vero sumtum istius excretionis subjectum est *Uterus*, & specialissime *contextus ejusdem venosus*: Quamvis enim insimul *arteriæ uterinæ* hic in censum venire videantur, quatenus ut in universum ad omnes corporis partes, ita quoque ad Uterum advehunt sanguinem, hoc loco materiam excretioni præbiturum, hanc ipsam tamen *non fieri* ex arteriis, tum color menstruorum ordinarius nigricans, tum, quia citra saltum & lente magis profluunt, persuadet; conf. celeberr. Dn. Doct. *Bohnii Circul. Anatom.* Progymn. XVI. p. m. 254.

VII.

E quanam Uteri parte aut regione speciatim erumpat sanguis menstruus, non æque conveniunt inter se Autores.

tores. Sunt, qui *Uteri cavitatem* aut *fundum* ejus pro fonte afferant, variis tam rationibus, quam obſervationibus ſuffulti, cujusmodi & hæc eſt, quam in Collegio privato Auditoribus communicavit, magnus ille Saxonum hujus ævi Æſculapius, totoque Orbe celeberrimus, D. D. GEORG WOLFFG. WEDELIVS, Hoſpes nuper ac Præceptor meus æternum venerandus, feminam ſcil. e prolapſi Uteri orificio interno manifeſtiſſime ſtatis temporibus reddidiſſe menſtruum vectigal. Alii vero ſingularis autoritatis Viri, nominatim D. D. *Bohnius*, *Bergerus*, *Ortlobius*, *Chriſt. Joh. Langius*, & præ ceteris mihi compellandus Vir *Magnificus*, *Prænobiliſſimus*, *Excellentiſſimus ac Experientisſimus* DN. JOHANNES MAVRICIVS HOFFMANNVS, *Phil. & Med. Doctor undiquaqae famigeratisſimus, Sereniſs. Marchionis Onoldo-Brandenburgici & Ducis Solisbaco-Palatini Conſiliarius & Archiater ſplendidiſſimus, Anatom. Chemiæ & Botan. Prof. Publ. ut & Academ. Naturæ Curioſorum Adjunctus, Heliodorus dictus, longe meritisſimus, Dominus Patronus, Præceptor & Studiorum meorum Promotor, ad cineres usque colendus*, in ſuis egregiis Operibus Anatomico-Phyſiologicis, negotium illud Menſtrui excretionis vaginæ uteri datum eſſe contendunt, allegantes inprimis autopſiam, dum in diſſectionibus diverſarum mulierum & puellarum, paulo ante obitum menſtruatarum apparuit, ſola uteri vagina ſanguine perfuſa, ipſe autem Uterus plane mundus ac nitidus. Liceat mihi hujus Autorum diſſenſus aliquale temperamentum adſtruere, nimirum fieri poſſe, ut in una perſona e cavitate ſive fundo Uteri, in altera ex ejusdem vagina ſanguis menſtruus proveniat. Ad quam ſane ſententiam haud obſcure inclinat Excell. D. *Joh. Jac. Harder. in Apiario* ſuo Obſ. 84. Schol. Et hæc quidem opinio mea, tanto minus

absurda censeri poterit, quanto magis exploratum est, *hæmorrhoides* etiam sæpe uni subjecto solum externas, alteri internas fluere, & ita eandem excretionem distincto in distinctis personis loco fieri.

VIII.

Causas quod attinet evacuationis menstruæ, a variis quidem assignantur variæ, in quibus tamen omnibus recensendis ego nunc non occupabor: Consulat, cui volupe est, Scriptores modo laudatos, cum quorum præcipuis statuo, nec Lunæ influxum, nec fermentum aliquod peculiare uteri, nec Archeum quendam ex arbitrio agentem, causæ principalis obtinere dignitatem. Probabilius igitur cum antea citato Magnif. D. D. BRVNONE in Lexico Medico p. m. 591. præter sapientissimum Creatoris institutum, ad *copiam sanguinis turgescentem*, & insimul cum acutissimo *Malpighio, in epist. ad Sponium*, censeo respiciendum ad *peculiarem vasorum circa uterum & vaginam conformationem.* Quantum ad illam, nempe sanguinis turgescentem copiam, eandem satis exquisite sentiunt instantibus Mensibus femellæ, prodentem se notabili vasorum intumescentia, & expansione gravativa, cum alibi, tum præsertim in abdomine & uteri regione: taceo phlogoses atque æstus, nec non præcordiorum angustationes, perquam familiares tempore mensium.

IX.

Hæc vero sanguinis turgescentia respective major evadit in compage uteri, propter ipsius *vasorum peculiarem conformationem*, quatenus ea non modo insigniter

flexuosa deprehenduntur, sed etiam seorsim hypogastricæ & spermaticæ venæ huc excurrentes, mutuis anastomosibus conjungi observantur. Hinc vero rediturus sanguis ab arteriis advectus, tum intra incurvos & serpentinos venarum tubulos remoram invenit, tum ex duplici vase confluens sese ipsum in itinere aliquatenus impedire videtur, ut si non stagnationi omnimodæ, impedimento tamen insigni faveat. Hæc ipsa igitur conformatio causa est, cur ex utero præsertim excretio sanguinis peragatur, in qno etiam ejus præsentia si imprægnari feminam contingat, præ aliis partibus magis exigitur, quemadmodum hoc ἀκριβῶς edocuit, B.D.D. *Ortlobius*, Histor. Part. p.m. 149. & seq.

X.

Sed jam satis de origine fluxus mulierum menstrui me disseruisse arbitror, quatenus ad rectiorem Thematis mei pertractationem nonnulla præmittenda videbantur; neque enim postulat instituti ratio integram Catameniorum physiologiam hic proponi. Quapropter e diverticulo quasi in viam rediens, *symptoma* illud menstrui fluxus, jam supra indigitatum, *dolorem* scilicet paulo diligentius rimabor. Quod autem jam in §. 2do monui, denuo hic repeto, me nempe non acturum de omni dolore circa fluxum menstruum ullatenus accidente: nec enim quævis levior molestia, tristisque sensus, qualem interdum sanissimæ etiam feminæ & puellæ, dum menstruatæ fiunt, experiri solent, ad res stricte præternaturales referri meretur. Quo vero magis elucescat, cujusnam gradus & indolis dolorem hic potissimum intelligam, sequentem casum a venerabili D. D. BRVNONE mihi in in Collegio Practico benevole communicatum

nicatum recensebo. Femina 28. circiter annorum, non uno solum aut altero ante mensium solenne profluvium die, sed & uno postquam fluere inceperant, summos perpessa est lumborum & ventris inferioris dolores, maxime lancinantes, pungentes, rodentes cum suffocationis periculo, usque ad animi deliquium, qui tamen deinde, fluentibus reliquo tempore mensibus, cessarunt, usque ad novum eorum periodum.

XI.

Ceterum hoc omnino constat, non ejusdem modi, sensus atque etiam gradus dolorificos Menses evenire singulis individuis, sed in diversis diversam ludere tragœdiam. Sic, (ut exempla duntaxat quædam suppeditem) aliæ femellæ, magis ante mensium eruptionem, aliæ post ipsam & durante fluxu, inprimis vero difficilius procedente, dolorem sentiunt; hunc vero iterum differentem, tam *ratione locorum*, quam *modi afficiendi*: Nunc enim, & quidem ordinarie magis, conqueruntur de dolore in *hypogastrio* & *lumbis*, nunc altius in *hypochondriis*, ipsoque interdum *epigastrio*: non infrequenter etiam in *thorace*, & frequentius adhuc in suprema regione corporis, nimirum *capite*; apud alias denique personas in ipsis *artubus*, præsertim *inferioribus*, dolor invalescit.

XII.

Differt autem porro *dolor menstruo fluxui* accidens, in *modis afficiendi*, & hinc percepta *idea*, quam aliter atque aliter verbis exprimunt afflictæ mulierculæ. Ita quædam *gravativum* saltem ac *tensivum*, quædam *ardentem*, *æstuosum* aut *inflammatorium*, quædam *pungentem* ac

rodentem, quædam denique *vellicantem* & *ſpasmodicum* ſe ſentire teſtantur. Quin ſæpius in eodem individuo diverſus emergit dolor, non ſolum regionem unam præ altera magis occupans, ſed & e. g. hic tenſione, illic ardore aut roſione moleſtus, ſæpe etiam mixtus, *intermittens, ambulatorius*, aut aliam ludens fabulam.

XIII.

Jam facile apparet, tot tantorumque diſcriminum doloris circa menſes obvii, non poſſe eandem & unicam eſſe *cauſam*, ſiquidem nec *proxima* ejusdem exiſtit ubique commatis, ſed in diverſis ſubjectis diverſa. Frequens admodum obſervatur *turgeſcentia & ſtagnatio ſanguinis* circa uterum, quæ, licet communiter & ſecundum naturam contingens, exitum mox inveniente ſanguine, parum negotii faceſſere ſoleat, *major* tamen & *longius durans*, non poteſt non dolorem efficere tenſivum & gravativum, qui etiam prompte augetur, ſi forſan *organicum* quoddam in genere vaſorum hæreat *vitium*, e. gr. *denſitas* ipſorum ut & membranæ interioris uteri, propter quam ſanguis ægre perrumpere poteſt; vel *anguſtia & tortuoſitas venarum*, ſanguini turgeſcenti & excretionem minus liberam invenienti, regreſſum verſus cor impediens. Et ſi vel maxime inoffenſum ex utero recurſum nanciſcatur maſſa ſanguinea, dicto tamen modo nimium turgeſcens, tam in ipſo tranſitu uterum, quam alias partes etiam remotiores, quarum vaſa & meatus orgasmo & copia ſua obruit, dolore gravativo mulctare poteſt.

XIV.

Quod ſi vero abundantia & orgaſmus ſanguinis

existat gravior, ut inde vasa partesque vicinæ violentius distendatur, dolor quoque exsurgit acutior, ob inchoatam continui solutionem, quam dum pro modulo suo avertere satagunt spiritus animales, in fibris motricibus undulantes, nisu contrario constrictionis, dolor magis spasmodicus resultat. Hinc est, quod mulieres laudatam sanguinis turgescentiam tempore mensium sustinentes, præter molestam distensionem, haud raro etiam spasmodico ejusmodi dolore vexentur, maxime in cruribus, quæ & propterea varicosis tumoribus passim obsessa deprehenduntur. Ceterum quo magis ad certum corporis regionem sive partem orgasmus ille sanguinis dirigitur, eo magis etiam dolorem ibi exacerbari necesse est, unde fit, ut non quælibet personæ mensibus dolorificis laborantes eodem loco vehementiorem sentiant cruciatum, sed aliis epigastrium, aliis lumbi, aliis caput &c. exquisitius affligantur.

XV.

E diverso autem principio deducendus videtur ille dolor, quem in §. XII. ardentem, æstuosum aut inflammatorium, appellavi, talis enim peculiarem M. Sneæ dyscrasiam & probabiliter quidem biliosam acremque salino-volatilem arguit. Hujus certe generis intemperies velificante inprimis plethora, non modo rarefactioni ac turgescentiæ p. n. sed etiam doloribus æstuosis & ardentibus favere plurimum potest. Hinc quoque accidit, quod ex hac causa menses dolorificos patientes varia insimul febrilia symptomata, scil. rigorem, æstus intensioris prodromum, sitim, lassitudinem & inprimis anxietates præcordiales experiantur.

XVI.

Alio rurſus fundamento niti arbitror *dolorem*, qui menſtruatis accidit, *rodentem atque pungentem:* quamvis enim triſtis hujusmodi ſenſus ab una aut altera cauſarum antea dictarum derivari quodammodo poſſit, vero ſimilius tamen origo ipſius ab *acrimonia ſcorbutica*, & *ſalibus* reſpective *fixioribus* in M. S. accumulatis, petitur. His ſiquidem præſentibus, quando ſanguis una menſtruum orgaſmum concepit, facile ſuſcitatur, impetuoſo & crebro acierum ſalinarum alliſu, lancinans atque rodens dolor, ſive in uteri regione, ſive alibi. Quin & eadem ſanguinis intemperies, aliam dolorum ſpeciem, videlicet ſpasmodicam inducere valet; dum enim a ſpiculis ſalinis ſubinde irritantur fibræ motrices atque his contentis ſpiritus, certe haud difficulter ſpasmodica diſpoſitio ac dolor hujus generis enaſcitur.

XVII.

Quemadmodum autem una interdum cauſa diverſis dolorum ideis procreandis idonea eſt, ita viciſſim in eodem Caſu atque Subjecto allegatarum cauſſarum plures concurrere poſſunt. Sic organicum in venis uteri vitium ac turgeſcentem ſanguinis copiam non raro coincidere, jam ſupra in §. XIII. inſinuavi. Nec rarior eſt intemperiei bilioſæ & acris ſalino-volatilis, vel etiam ſcorbuticæ cum plethora & orgasmo ſanguinis concurſus ad efficiendos menſes dolorificos. Imo ut verum fatear, exiſtimaverim, rariſſime ab una ſola cauſa eosdem proficiſci, ſed plerumque a duabus aut pluribus ſimul.

XVIII. Am-

XVIII.

Ampliſſimus ſeſe panderet campus, ſi reliquos *cauſarum ordines* ſigillatim percurrere velim: aſt enim vero quæ *antecedentes* dicuntur, pleræque e jam dictis haud obſcure eluceſcunt, quatenus e. g. *latentes in corpore intemperies bilioſæ, acres, ſcorbuticæ*, &c. priusquam ad actum dolorificorum Menſium pertingunt, cauſæ *προηγουμέναι* ſalutari merentur, *Procatarcticæ* autem longe nummeroſiores exiſtunt, ſed placet delibare potiores ſaltem. *Alimenta* ſane acido-acria, fermentativa, flatulenta, orgaſmum & dyſcraſiam ſanguinis promoventia, ut toto die dolorum ſymptomata inducere obſervantur, ſic a mulieribus ac puellis, quas ſive propria, ſive aliena pericula hoc in paſſu cautas fecerunt, evitari ſolent. Taceo *aeris intemperiem*, quæ ſeu calida ſeu frigida ſit, utroque extremo aut turgeſcentiam ſanguinis aut ſtaſin & coagulationem ejus inducendo, menſibus dolorificis apprime favet. Idem tenendum eſt de *motu & exercitio corporis*, quando nimium orgasmo, intermiſſum vappeſcentiæ & dyſcraſiæ ſanguinis, hinc vero *menſibus dolorificis* diverſimode occaſionem largiri valet.

XIX.

Præ ceteris autem a *vehementioribus animi pathematibus*, videlicet *ira*, *mærore*, *terrore*, ut alia fluxus menſtrui ſymptomata, ſic maxime dolores oriuntur. Memorabilem ejusmodi caſum recenſet *Joh. Nicol. Binningerus*, Cent. V. Obſerv. 96. feminæ nimirum nobilis, a ſubitaneo terræ motu perterrefactæ, ſtatim fluxu muliebri correptæ, cui dein juxta cum ſymptomatibus aliis graviſſimis,

vissimis, *cruciatus* etiam *atrocissimi abdominis* superveniebant. Eadem incommoda per tristitiam vehementem ac diuturnam induci, notius est, quam ut exemplis comprobari debeat.

XX.

Methodo tractandorum thematum conforme nunc esset, ut *signa dolorificorum mensium* evolverem, sed quoniam symptoma istud minime occultum permanet, quin potius in personarum, quibus accidit, sensum manifeste satis incurrit, Medico sufficiet, si ab ipsis ægrotis exquirat, qualis nam in specie dolor, num e. g. tensivus, an rodens, aut æstuosus ardensve persentiscatur? quo non solum ipsius causa latens rectius innotescat, sed & curatio congrua institui queat. Et profecto, si non a solis patientium ejusmodi relationibus, ad minimum iisdem cum pulsu aliisque fontibus signorum prudenter collatis sufficienter informari Medicus poterit. *Prognosin* vero quod attinet, *chronicis* aut saltem *periodicis affectibus* annumerari consueverunt *menstrua dolorifica*; ut non raræ existant personæ, quæ singulis mensibus, per omnem ætatem qua isti fluunt, *dolores* etiam perferre cogantur: Certe satis *rebelle*, interdum & *incurabile* malum, præsertim si *causa vitii alicujus organici*, de quo supra disserui, forte subsit; cujusmodi quippiam laudatissimus D. D. BRVNO circa casum in §. X. propositum non immerito suspicatus est. Ceterum qui *ab intemperie* aliqua originem traxit *dolor*, respective *facilius auferri* poterit: Ipso autem *pertinacius atq; atrocius affligente*, in veras *convulsiones*, *deliquia animi* aliaque sontica symptomata transitus fieri sæpiuscule solet.

XXI.

Ego ad curationem propositi affectus me nunc confero, indicationes præcipuas, (quæ tamen nec in quovis casu simul usu veniunt) sequentes esse judicans, ut 1) *dolor nimis ferociens, & pejora symptomata portendens, quantum licet, obtundatur*, 2) *præsens forsan turgescentia sanguinis nimia temperetur*, 3) *plethora imminuatur*, 4) *stasis & obstructio auferatur*, 5) *intemperies corrigatur*. Quamvis autem, quoad *primam indicationem* videri præcipuum possit, & vulgo quoque soleat, contra menses dolorificos militare *narcoticis* aut *validioribus anodynis*, & hæc inter agmen ducentibus *opiatis*, utpote dolori directe oppositis, testatur tamen experientia, quod nec eradicandæ cuicunque symptomatis illius causæ sufficiant, nec certo semper assopiant malum, frequentius vero augeant, præsertim nisi cautissime aliis convenientioribus remediis maritata adhibeantur. Securius itaque, ubi dolor atrocior urget, abdomine præsertim una flatibus distento, applicantur *clysteres* paregorici, carminativi, & ejusdem facultatis *sacculi*, *fomenta*, *linimenta*; interne vero *cinnabarina*, *castorinis*, *succinatis remixta*, in aquis anethi, hirund. c. castor. carminativa, &c. offerenda, quo pacto etiam una *spasmis* obex ponitur.

XXII.

Secundæ autem *indicationi*, *ut nempe turgescentia sanguinis forsan nimia temperetur*, satisfiet per *blanda refrigerantia* & *sedativa*, cujusmodi seorsim est *nitrum*, cum suis præparatis, sociandum *absorbentibus fixioribus* ▽eis e g. coralliis, lap. ♋. matre perlarum, Conchis præparatis, bezoardico ♃ali &c. propinando in *aquis temperantibus*, flor. sambuc. endiviæ, lactucæ: ceras. nigror. rub. idæi, aliisque, præscribendo simul conveniens refrigeratorium quo-

dammodo victus regimen. Cavebit tamen prudens Medicus, ne quid nimium hic committat, & dum sanguinis orgasmum reprimere conatur, excretionem menstruam impeditiorem efficiat.

XXIII.

Quod si *plethora* adsit, & propter hanc *menses dolorifici* evadant, ipsamet *juxta tertiam indicationem debet imminui*, & quidem V. Sne, præsertim in pede, ubi commodior simul *revulsioni* locus, practicorum judicio, existit. Quando autem a *particulari sanguinis stagnatione* circa uterum dolores tempore mensium excitantur, illa ad mentem *quartæ indicationis* meæ *auferenda* est: cui scopo inserviunt *resolventia* & *aperientia*, e.g. rad. rub. tinctor. quinq; aperient. cichor. herb. chærefol. heder. 🜄estris, capillor. ♀is, e quibus & similibus decocta & infusa parari possunt, addendo pro re nata etiam *emmenagoga*, quando nimirum languidius succedunt menses & suppressionem minitantur. *Martialium* vero, maxime ♁ ij ♂ialis cachectici, ⊖li ♂is, Tincturæ aperitiv. Zvvelferi, ut alias ita hic præcipue in resolvendo & aperiendo insignis usus est.

XXIV.

Quintam indicationem in eo posui, *ut intemperies corrigatur*: quam frequens enim hæc menstruorum dolorificorum sit causa, ex antecedentibus patere satis existimo. Quod si igitur *biliosa* peccet *intemperies*, huic iisdem fere remediis est occurrendum, quæ modo contra turgescentiam sanguinis commendavi; seorsim vero *purgantia*, sed mitiora, ut *rhabarbarina*, polypodium, tamarindi conducent. Ast si *ab intemperie scorbutica* dependeant menses dolorifici, non solum *absorbentibus alcalinis*, sed etiam

dilu-

diluentibus erit litandum: quo in cenſu eminent *decocta vel infuſa pugillaria calida*, rad. chinæ, althææ, fœniculi, glycyrhizæ, herb. fumar. veron. theæ, lign. ſaſſafr. guajac. ſantal. citr. quæ non ſolum alterando, ſed etiam evacuando per diureſin ac diaphoreſin, ſcorbuticam intemperiem corrigere valent: Ad eundem collimant ſcopum eſſent. Lignor. fumar. ♂. &c.

XXV.

Inſuper *diætæ* ſollicita ratio eſt habenda, vitando errores, qui prius in una aut altera rerum nonnaturalium Claſſe perpetrati, occaſionem dederunt *menſibus dolorificis*, quos præſentes *abſtinentia* aut ſaltem *parcior uſus alimentorum*, inprimis autem tam *corpori* quam *animo* ſtudioſe *conceſſa quies*, mirum allevare obſervantur. Sed de his & aliis huc fortaſſe referendis, propter anguſtiam temporis plura nunc addere non licet. DEO autem Ter Optimo Maximo, cui pro auxilio mihi præſtito aliisque innumeris beneficiis devotiſſimas ago gratias, ſit Laus & Gloria ſempiterna.

FINIS.



NOBIL.

NOBIL. ET CLARISSIMO

DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

JOH. JAC. BAJERUS, D. & P. P.

Facult. Med. h. t. Decanus.

Quod præsenti Tuæ Inaugurali has lineolas annectere voluerim, minime fieri existimes, quasi necessarium ducam, laborem istum & studia Tua collaudare operosius: Hæc enim bonis compluribus abunde jam perspecta, sicut vinum vendibile, suspensa hedera opus non habent. Ita sane multi pro testimonio dicent, ac sponte fatebuntur, quod noverint Te ultra lustrum integrum sedulam Arti Medicæ navasse operam, jactis primum fundamentis in Athenæo Norico hoc nostro, sub fideli manuductione inclytorum Virorum, D. D. BRUNONIS *&* HOFFMANNI, *quorum doctrinæ sapienti & meam qualemcunq;, candidam tamen, circa varia Medicinæ momenta jungere, forsan non sine fructu, contendisti. Testabuntur alii, quoties in disputatoria palæstra Te observaverint tam Respondentem quam Opponentem industrium, siquidem & Philosophorum subsellia, inprimis venerandi Hospitis Tui, Excellent. Dn. Professoris* MOLLERI, *nec non perdilecti Fratris mei* Dn. JOH. GUIL. BAJERI *Collegia frequentasti. Neq; vero id satis Tibi visum fuit, cum ante biennium almam Jenensem, patriam meam peteres, votiq; compos redditus, à celeberrimorum ibi Medicorum, præsertim* τοῦ πολλῶν ἀνταξίου ἄλλων D. D. WEDELII *Senioris ore penderes, ipsiusq; convictu gauderes. Quanta hic usus fueris solertia, ego quidem aliis prædicandum relinquo, tametsi eam haud ignorem, perinde ut illud, quod, exacto Jenæ sesquianno, pedem promovens, meliorem Germaniæ partem peragraveris, ubiq; locorum augendis profectibus Tuis invigilans. Ecquis autem, hæc omnia considerans, non optimam spem de Te conciperet, maxime cum studia Tua Facultati nostræ in examinibus binis solennibus haud leviter jamjam probaveris? Ego itaq;, ut tandem hujus epistolii scopum attingam, de re hactenus bene gesta Tibi gratulor, & ulterius faustissimos progressus, auspicatum præsertim (quod nunc ad Belgas Anglosq; paras) iter ac reditum, felix deniq; Praxis Medicæ initium atque incrementum ex animo apprecor, amorem & amicitiam meam Tibi perennantem promittens. Vale! Dab. ex Museo, V. Id. April,* CIƆIƆCCIX.